RESTAVRATÆ ACADEMIÆ HASSO-GISSENÆ

RECTOR

TOTUSQUE ORDINIS PROFESSORII SENATUS

Civibus Academicis largiſſimam Dei benedictionem precantur.

IEhova inquit *Daniel.12.verſ.3.* Et intelligere facientes fulgebunt ſicut ſplendor firmamenti, & juſtificantes multos ſicut ſtellæ in ſeculum & perpetuum. *Ubi diſſerit de Theologis Doctoribus & Symmyſtis Academicis & Eccleſiaſticis, qui fideliter & diligenter ſuum officium facientes, multos faciunt intelligentes & apprimè doctos, eóſque, verbum Dei ipſis gnaviter proponentes & exponentes, divináque Sacramenta ſecundùm præſcriptum Dei ordinem diſpenſantes, ad agnitionem cæleſtis veritatis adducunt & juſtificant; ſicut & eoſdem ſalvant, 1. Timoth.4.v.16. Idq; faciunt, non ut Domini, ſed ut miniſtri, 2. Corinth.4.v.5. & Col.1.v.25. per quos Deus eſt efficax, & iis dat incrementum, 1. Corinth.3.v.6.&c. Sicut autem ipſorum docentium labor non eſt inanis in Domino, 1. Corinth.15.v.58. ita quoque non deſtituitur copioſâ, quamvis merè gratuitâ, Dei remuneratione, per & propter Chriſtum* ϑεάνϑρωπον, *fide, divinitus in ipſorum cordibus accensâ, ab ipſis apprehenſum. Nam fideles informatores lucebunt ſicut ſplendor firmamenti & ſtellæ, & quidem non aliquantiſper tantùm, ſed in omnem æternitatem.* Una ſalus communis erit, ſed gloria diſpar, *1. Corinth. 15.v. 41. 42. 43. 44. Ut autem fideles verbi cæleſtis Doctores largâ fruuntur Dei remuneratione: ita quoq; reliqui Doctores & Profeſſores, ſuam ſpartam induſtriè condecorantes, non manebunt* ἀδώρητοι, *indonati. Pietas enim ad omnia utilis eſt, habens promiſſionem hujus & futuræ vitæ, 1. Timoth.4.v.8. Et unuſquiſq; ſuam mercedem accipiet* juxta proprium laborem, *1. Corinth.3.v.8. Ubi prapoſitio,* juxta, *non innuit reſpectum noſtri, propriè & exquiſitè dicti, meriti, quippe ad quod nos ſumus inutiles, Luc.17.v.10. ſed* χάριν Deo cõplacentis convenientiæ. *Cumitaq; Deus Ter Optimus Maximus per Sereniſſimum & Celſiſſimum Principem & Dominum, Dominum* GEORGIUM, *Haſſiæ Landgravium, Comitem in Cattimeliboco, Deciâ, Zigenhainâ, Niddâ, Iſenburgo, Budingâ &c, Dominum & Evergetam noſtrum gratioſiſſimum (cui Iehova ſit ſua copioſa merces) hanc Academiam Giſſenam, quæ ad tempus ſuſpenſa fuit, in divini nominis honorem, Eccleſiaq; & Reipublicæ Chriſtianæ ſalutem, & totius Patriæ noſtræ utilitatem, benigniſſimè reſtaurârit, noſq; in eâ Profeſſores conſtituerit, ideò nos,* σὺν Θεῷ, *noſtrum officium, eâ, quâ par eſt, fide & induſtriâ faciemus, illâ ſpe freti, vos etiam veſtrum officium probè facturos, Legibuſq; noſtris Academicis, promptè obtemperaturos eſſe. Ut autem maturè ſciatis, quóſnam labores in omnibus Facultatibus, hât æſtate, Deo volente, exantlaturi ſimus, ideò catalogum eorum hîc ſubjungemus, etiam atq; etiam Deum invocantes, ut eis largiter benedicat, nóſq; omnes ab omnibus malis præſervet, temporaliq; & æternâ pace & ſalute beet. Dabamus Giſſæ Heſſorum die 1. Iunii, Anno Chriſti 1650.*

IN FACULTATE THEOLOGICA.

Juſtus Fewrbornius, S.Theol.D. & Profeſſor & p. t. Academiæ Rector. 1. Quia quatuor S. Evangeliſtas jam tum explicavit, idcirco Acta Apoſtolorum publicis Lectionibus enodabit. 2. Auguſtanam Confeſſionem, ejuſq; Exegeſin Mentzerianam, in privato Collegio, ſingulis ſeptimanis diſputando percurret & exponet. 3. Aliquot Diſputationes publicas inſtituet. 4. Anti-Enjedinum, antehac Giſſæ à ſe publicè propoſitum, revidebit, ac ſimulatque fieri poterit, cum typis exſcribendum ac Theologicis diſquiſitionibus accuratè penſiculandum curabit.

Petrus Haberkornius, S.Theol.D. ejuſdemq; ordinarius Profeſſor, 1. Explicabit ordine, in Lectionibus publicis, Articulos fidei Chriſtianæ, initium ab Articulo de SS. Trinitate facturus, & poſtea ad reliquos, ad finem uſq; progreſſurus. 2. Aperiet Collegium & Hebraicum & Theologicum diſputatorium privatum. 3. Habebit etiam per Semeſtre hoc æſtivum de S. Trinitatis articulo, aliquot Diſputationes publicas.

Balthaſar Mentzerus, S.Theol.D. & Profeſſor &c, huc vocatus, ſuam etiam provinciâ Theologicam & Hebræã fideliter exornabit.

IN FACULTATE JURIDICA.

Juſtus Sinolt, cognomento Schütz *Juris Profeſſor primarius,* præcipuas conſtitutiones Imperii noviſſimas legendo & diſputando explanabit.

Gregorius Tülſnerus, J.U.D. & Prof. ordinarius, latiſſimum Pandectarũ volumen, pertractaturus, ſingulas leges breviter explicabit, & genuinum earum ſenſum enucleabit; tum ſedes & fundamenta materiarum proponet, & quæſtiones hinc inde occurrentes, adductis dubitandi & decidendi rationibus, reſolvet, initium facturus à titulo de juſtitiâ & Jure: ea tamen omnia non longiùs proſequetur, quàm & utilitas Studioſorum & temporis ipſius ratio poſtulabit.

Jacobus Le Bleu, J. U. D. ejuſdémq; extraordinarius Profeſſor & Academiæ Syndicus, publicè lecturus eſt Inſtitutiones Juris ab initio uſq; ad titul. de obligationibus lib. 3. Privata etiam Collegia in Jure aperiet. Et Collegium Weſenbecianum ad finem perducet.

Martinus Müllerus, J.U.D. ejuſdémq; Profeſſor extraordinarius, in Inſtitutionibus Juris publicè explicabit materiam obligationum & Actionum, Collegiáq; Juris habebit Explicatoria, quin & Exercitia tàm publica, quàm privata diſputatoria inſtituet.

IN FACULTATE MEDICA.

Joban-Daniel Horſtius, Medicinæ D. & Profeſſor & Archiater circa finem Julii inſtituet Collegium Chemicum. Abſolvet autem Chemiam hâc vice ſex ſeptimanarum ſpatio, *primâ & ſecundâ* generalia exponendo, *tertiâ* Salia, *quartâ* Magiſteria, *quintâ* Spiritus, *ſextâ* olea ſelectiſſima parando.

Johannes Tackius, Philoſophiæ & Medicinæ D. itemq; Phyſices & Medicinæ Profeſſor ordinarius, ſummâ, quâ poterit, brevitate, Medicinæ & Phyſices veræ rudimenta pertractare incipiet, eâ methodo, ut contemplationibus naturalibus conjungat earum uſum, & quâ ratione in Medicinâ operam ſuam præſtent. Pro ratione quoq; Studioſorum, Collegia Medica & Phyſica aperiet.

IN FACULTATE PHILOSOPHICA.

M. Caſpar Ebelius, Profeſſor Logicæ & Metaphyſicæ ordinarius & Pædagogiarcha, publicè doctrinam Logicam per breves aphoriſmos auſpicabitur, eóſq; fuſiùs exponet. Privatim ante futuras Nundinas, Collegium Logicum, Metaphyſicum, & quæſtionum illuſtrium Philoſophicarum miſcellarum, illarum præſertim, quarum uſus eſt in S. Theologiâ, abſolvet, & in his ipſis aliiſque, officium ſuum concernentibus, omninò Auditorum captui ſeſe, quantum poterit, accommodabit.

M. Johan-Conradus Dieterich *Linguæ Græcæ & Hiſtoriarum Profeſſor,* prævia oratione de infelicitate ſeculi ſuperioris in Græcarum literarum ignoratione, quam typis deinde committet publicis, aggredietur Phraſeologiam Evangeliſticam è quatuor Libris N.T. prioribus, parallelismo explicare harmonico. In Hiſtoricis tractabit Joh. Sleidani Librum de quatuor Monarchiis. In Exercitiis privatis attemperabit ſe & tempori, & perſonæ & ætati.

Jacobus Le Bleu J. U. D. Politices, ut & Linguarum Exoticarum ordinarius Profeſſor, Synopſin Doctrinæ Politicæ, à Beſoldo conſcriptam, publicè exponet, & privatum Collegium Politicum inſtituet. Præterea, Hiſpanico-Italico-Gallicum aperiet Collegium.

M. David Chriſtiani Pomer. Mathemat. Prof. ordinarius, publicè deſcribet & comparabit triplex mundi Syſtema, Vetus Ptolemaicum & Alphonſinorum; Admirabile Copernici, & Tychonis Brahe recens, nec non verum Mundi Syſtema inveſtigabit. Reliquas etiam Hypotheſes deſcribet, quas Mathematici vel obiter recenſent, vel pro ſe etiam dijudicant, quæque vel naturæ nullo pacto conſentiunt, vel ad prædicta tria famigerabilia ſchemata, unde emanârunt, nullo negotio reduci poſſunt. Diſputationes etiam publicas de vero Mundi Syſtemate inſtituet. Privatim Collegia *Arithmetica, Geometrica, Geographica, Aſtronomica, Aſtrologica, Optica, Fortificatoria & Oratoria,* ad captum & votum Studioſorum aperiet.

Martinus Müllerus, J.U.D. Profeſſor Ethices ordinarius, in Lectionibus ſuis publicis præcepta tradet generalia Philoſophiæ Moralis ex Ariſtotele. Collegia etiã privata, ad petitũ Studioſorum, aperiet.

P. P. Giſſæ die 1. Iunii, Anno M. DC. L.

GISSÆ, *Typis* JOSEPHI DIETERICI HAMPELII, Academiæ Typographi, Anno 1650.